

112.
I. N. 7.
DISSERTATIO ACADEMICA;
COMMENTUM SIMONIANUM,
DE

O R D I N E
CODICIS HEBRÆI
T U R B A T O,

Breviter perstringens,
Ad vindicandum Gen. Cap. XX: v. 2. &c.
QUAM,

*Indulgente Amplissima Facult. Philosoph. in Regia
Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE,

VIRO AMPLISSIMO atq; CELEBERRIMO,

D^N. CAROLO ABRAH.
CLEWBERG,

Græc. & O. O. L. L. PROFESS. Reg. & Ord.
Publico examini modeste submittit
MAGNUS HAGRENIUS,

SMOLANDUS,

In Auditorio Majori ad Diem X. Novembr.

Anni MDCCLIII.

H A. M. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typog. Reg. Mag. Duc. Fin-
land. JACOB MERCKELL.

VIRO Admodum Reverendo atque Praclarissimo,
**D^N. MICHAËLI
HEINTZIO,**

*Ecclesiarum, quæ Deo in Syffmæ & Hardola colliguntur Pa-
fiori & Præposito dignissimo; Benefactori optimo.*

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,
**D^N. MAG. JOHANNI
ROGBERG,**

*Reg. Scholæ Wexionensis Reçtori meritissimo;
Fautori Certissimo.*



לפנים ומשנים קדמוניות חלתי רוב טובתכם
כי נפלאתה מאד ולא ראיתי פניכם נסוגים
אתרונית לכלתי זכרני כזכר חסדיכם והנה מה אני כי
יקרה נפשי בעיניכם ותזכרוני וכרוח גריבה תסמכוני
והלא צעור אני בערככם וראשום בשבטי ישראל
אתם וגם רחמיכם וחסדיכם אשר הגדלתם לעשות לי
רבים הם וגדולים כלי חקר ועצמו מספר ולא בכחי
לשלם אחת מאלף כי לא זהב לי ולא כסף אלא מחסור
כל דבר אף לא אוכל אדוני להקריב דבר גדול או קטון
שיגלה

שיעלה על מזבחכם לרצון. ועתה אל נא תחשבו כי עון
שלא יראתי מהגיש את משאת אצבעתי הזאת כמו
ראשית ובכורי תנוכתי אשר לקצתי כשרה חכמה על כן
קחו נא מנחתי מידו ובזה תשמחו את נפש עבדכם אלו
צילי כי למח תעברו על פני בגאות ולא תמציאנו הן
בעיניכם אלא תשליחו ברכתי אחרי גבכם. הו' יי
אם היה יותר מזה בולוי והנה מהרתי ושלחתי אותי
אל מקום שבתכם ולפי שכך תחי נא לכם לחפץ שיובל
שי מירי האמון הזה כי אין בקול תורה אתהלך ואשוע
לתת תהלה לשמותיכם ולספר כל רחמיכם אשר
תוסיפו לעשות עמרי והנה בעורני חי אשא קולי אל
יהוה להתפלל שישאכם על כפיו בכל דרכיכם וישמרכם
כמישון כת עין הרוכב על כסותי עבדכם אהלו בעלוות
שחקים הוא ירוסמכם לרשת ארץ חיים ופרו ורבו
כתבל עד כי הק"כ יפתח שערי השמים להביאכם
אל ארץ כנען.

NOMINUM VESTRORUM

Cultor observantissimus,
MAGNUS HAGRENIUS,

Comministren
Wälårewördige och Wällärde
Herr JONAS HAGRENIUS,
Min Högtårade kära Farbror.

Comministren
Wälårewördige och Wällärde
Herr FRIEDRICH GUSTAV. BERNER,
Gunnstige Gynnare.

Inspectoren,
Ädel och Sögaktad
Herr ARON EKEBOHM,
Wäibenågne Gynnare.

En besynnerliga Gunst/ som jag af mi-
na Herrar erfarit / förpliktat mig at
framte alla gjörliga prof af den Högaaktning/
mit Sinne deremot hyser: Fördenstkull war-
der närwarande Arbete mine Herrar uppof-
radt/ med trogen önskan, at all den Säll-
het/ som bör åskundas/ måtte Eder nu och
framgent wedersaras.

Minne Herrars och Gynnares

Ödmulte tjennare,
MAGNUS HAGRENIUS.



§. I.



Nil pro certo esse habendum, antequam veritas ejus indubiis adstructa sit argumentis, facile negaturum existimo neminem. Cum autem veri cognitio non solum dulcedine quadam animos mortalium perfundat, verum & certissimam generi humano adferat utilitatem, sua minimè defraudari debent laude, qui veritati investigandæ sedulam navarunt operam. Homini quidem præ brutis rationem concessit Provida Natura, ut quid rebus conveniat vel minus, quid vere aut false dictum sit, secernere queat. Sed arcti limites, quibus inclusum deprehendimus intellectum humanum, obsistunt quominus ad omnia veritatis adyta penetrare, illamque innumeris fere difficultatibus sæpe involutam eruere valeamus, ut animus cogitando in contrarias haud raro distrahatur sententias. Quemadmodum vero non minimus labor consistit in rebus ante actis rite dijudicandis, quarum fides variis modis incerta reddi solet, & nihil interdum, nisi narrantis industria verique amor

nos veritatis convincere debet, ita & multorum retro seculorum viri docti suis iudiciis subjecerunt historias posteritati olim relictas, circumstantiisque rite perspectis, aliorum de eadem re sententiis collatis, & quæ sunt reliqua, in auxilium receptis, varios detexerunt errores narrationum, quibus indubia antea habita fuit fides. Quodsi auctoris perfecta rei narrandæ cognitio veritatisque amor probe sint nobis cognita, nullus erit dubitandi locus; scientem enim non potuisse, & veri amantem non voluisse vera narrare, quam absolum foret dicere, quatenus causæ graviores motus illius aliter non direxerint? Quas itaque Deo debemus narrationes in dubium vocare piaculum est, & sanctitati Divinæ maxime infestum. Sunt tamen & fuere multi, qui quidem Deum S. Scripturæ auctorem esse non negent, illam vero nunc temporis varia continere, sub incudem revocanda ac a sæcibus purganda, non erubescant adfirmare; unde non parum veritatis cœlestis auctoritati detraheretur, nisi, quæ hoc statuentes vibrant tela retundere conemur. Quum vero temporis ac virium ratio, nec non operis, ne hoc propositam nobis magnitudinem excedat, multis, quid dicam omnibus, satisfacere veret, lubet hypothesin Ric. Simonii, qua veterum Ebraicorum voluminum forma ac ratione externa, ad dilacerandum V. T. contextum temere impudenterque abusus est, nostro qualicumque examini subicere, eamque & maxime frivolum & omni fundamento esse destitutam evincere. Eoque

que textui Hebræo suam integritatem adferere conabimur in universum, simulque in specie locum Gen. C. XX: 2. a criminationibus Simonii vindicatum sistere.

§. II.

Quo facilius opinionem suam incautis lectoribus propinet R. Simonius, omni nisu veritatis cœlestis ut amans videatur elaborat. Concedit igitur, Deum esse S. Sacræ Auctorem. *On ne peut pas, inquit douter, que les vérités contenües dans l'Écriture Sainte, ne soient infaillibles. Et d'une autorité divine.* (α) Promittit etiam, se in eo solo sudare velle, ut, qui ejus opera uti volunt, ad perfectiorem veritatis cognitionem perveniant; cum tamen integritatem S. Scripturæ vel evertere, vel saltem dubiam reddere conetur, proclamans, qui ad nos pervenerunt, libros prolixiorum tantummodo esse compendia, omniaque in illis inordinata, confusa atque turbata reperiri. (β) Inter prima vero confusionis exempla, est & illud, quod ex dicto capite XX. Gen. desumptum exhibet. (γ) Moses nimirum Scriptor *Θεόπνευτος*, memoriæ prodit, Abrahamum conjugemque Saram provectæ ætatis fuisse, cum rex Abimelech, hujus amore captus, eam uxorem ducere constituisset. Amoris causam præcipuam adfert Simonius, speciosam, qua tum

A 2

emine-

(α) *Histor. Crit. Vet. Test. C. I.* (β) *Conf. Hist. Crit. V. Test. lib. I Cap. II. Et lib. III, Cap. V.* (γ) *in Prefat.*

eminebat illa, formam. Hæc autem, secundum ordinarium naturæ cursum, ad illam ætatem spectat, qua florum instar vigent mortales, cum ex adverso, adventante senectâ, sensim oblitterentur, quæ in juvenili ætate obtinuerant, oris decora. Saram igitur nonagenariam, tantum adhuc formæ elegantia valuisse, ut regem in sui amorem rapere potuerit, apud Simonium sine miraculo fidem invenire nequit. Quod cum admittere hoc loco piaculum existimet, nodum hunc secandum potius quam solvendum ratus, turbatum esse narrationis ordinem non veretur adserere.

§. III.

FAcili autem negotio, rem præpostere memoratam heic aliisque locis, se probasse putat idem Simonius, modo rationem, qua textus turbari potuerit ordo, detexerit. Mos nempe fuit, libros in parvis, ut opinatur, membranis exarare, & has, inter se te non connexas, alias super alias circa lignum quoddam obvolvere, quæ itaq; evolutæ commisceri, & antecedentes pro consequentibus substitui potuissent, adeoque ordo temporis, in rerum narrationibus observandus, misere turbari. (a) Hinc ortam esse confusionem fide dignum redditurus, totus est occupatus in demonstrando, quam absolum foret credere, eam fuisse librariorum omnium industriam, ut ne vel aliquo loco turbatam pericoparum transpositionem adterret descriptio tot voluminum, omni, nisi quatenus
circa

(a) *Lib. I. Cap. I.*

circa cylindros convoluta erant, destitutorum ordine, ad quem istorum coherentia exigi potuisset. Est hoc Simonii *supra* saltem inauditum, si non idoneo fundamento subnixum, quo ad veterum voluminum formam attendens, nescio quid eximii sibi pollicetur.

§. IV.

Nobis jam ostenturis, nihil, loco supra dicto occurrere, quod confusionem oleat, non placet cum Judæorum plerisque, & aliis non paucis, in numerum miraculorum referre servatam Saræ formam, sed potius attentionem mereri videtur longum vitæ spatium, quod illius ævi hominibus per naturam concessum fuit emetiri: Constat enim ex C. XXIII. Saram C. XXVII. Annos in vivis fuisse, adeoq; triginta septem post hunc casum, incidentem in nonagesimum ætatis annum, cui proinde illo, quo jam vivitur ævo, annus respondet circiter quadragesimus secundus, cum infra septuagesimum senectus hominibus obrepat, ac plurimos vita relinquat. Quis autem negare potest, multos utriusque sexus, hoc etiam seculo dari, quos circa quadragesimum ætatis annum, nondum destituit vigor, nec pristina forma, quibus & ulterius, quam nunc usu venit, gauderent plerique, nisi inordinata vita & vires & formam corrumperet. Major propterea nos caperet admiratio, si Sara, nulla interveniente causa, formæ, qua in juvenili ætate donata fuit, fecisset jacturam. Quo & referre queas, quod a liberorum partu ac nutritione in hunc annum fuerit libera.

Absur-

Abfurde præterea ita concludere videntur adversarii: Abimelech amore est captus, amoris ergo objectum fuit feminæ cujusdam forma speciosa. Hoc enim modo omnes alias amoris ac amicitiaë causas excludunt, quas tamen adeo esse varias constat, ut frustra una, quæ non abesse potest quærat. Nonne majori jure quis adfirmaverit, Regem Abimelech, pietatis aliarumque virtutum amore captum, Sororem Abrahami sibi conjugem voluisse ducere, quo & cum hoc, cujus probitatis laude tota personabat regio, arctissimo affinitatis vinculo conjungi posset.

§. V.

EX ipsa etiam S. Scriptura valida petuntur argumenta, quæ hanc historiam secundum temporis, reique gestæ ordinem descriptam esse ostendunt. Ut constantia ac fides Abrahami maxime fuerunt Deo acceptæ, ejusque posteros sibi in peculiarem populum elegerat: ita placuit Spiritui Sancto exactiorem vitæ istius imaginem exprimere. Unde narrationis de Abrahamo continuatæ series docet (a) illum post discessum a fratre, mansionem sibi elegisse in Mambre, & hanc, quoad stetit Gomorra, non reliquisse, quo tempore etiam Saram ad nonagesimum ætatis annum pervenisse manifestis proditum est verbis. (β) Malitiæ igitur, vel imprudentiæ signum est, statuere, eum demigrasse in Gerar, quem in Mambre perpetuo

(a) cf. *Gen. C. XVIII.* (β) *Gen. C. XVII. 6.*

petuo fuisse S. Pagina testatur (α) Quod & de tempore, quo cum fratre vixit, dictum erit. Hinc recte concludere nobis videtur, Simonium, ejusque farinae alios, magis pruritu S. Scripturam carpenti, vel stupeudam venditandi eruditionem, quam veritatis amore, si non ignorantia, ad scribendum contra hunc S. Codicis locum fuisse impulsos.

§. VI.

QUUM autem, quo minus ad plura S. Scripturæ loca, quæ ab adversariis impugnantur, attendamus, gravissimæ obsint rationes, quædam illorum tela jam sub incudem revocare lubet. Quod ut meliori cum successu fieri queat, nonnulla in antecessum de forma librorum apud veteres observasse, non a scopo nostro plane alienum arbitramur. A quo namque tempore litteræ sunt inventæ, cogitari ceptum est de materia in qua hæc commode exarari possent; Et primum quidem ingenium humanum tantam fuggerit multitudinem ac varietatem, ut omnium illarum enumerationem hæc charta non capiat. Lateres Chaldæis inservisse monet Plinius: (β) Hesiodi ἔργα in tabula plumbea scripta, circa Hiprocrenem fontem οἱ περὶ ἑλικῶνα οἰκόντες ostendunt Pausaniæ. (γ) Oviurn ossa, jumentorum hominumq; chartæ loco, ab Arabibus ante tempora Muhammedis adhibita esse, testis est Ebnolathir apud Pocockium

(α) Le-

(α) vid. Gen. C. XIII. usque ad XX. (β) Lib. VII: s. 6. (γ) Pausanias Boet. p. m 771.

(α) *Leges universales Solonis lapidibus fuisse notatas, tradit Harpocration. (β) In palmarum foliis, dicit Plinius, primo scriptitatum est: deinde, quarundam arborum libris, h. e. corticibus, interioribus, unde nomen Libri prognatum. Veteres etiam adhibuisse chartam papyraceam, sericeam, bombycinam, linteam, res est notissima. Membranas ex corio præparatas, inprimis priscis temporibus in usu fuisse ostendit proverbium græcum: ἀρκαϊότερα διφθέρας. Perficos annales membranis inscriptos tradit Diodorus, & Ctesiam laudat, qui sua se hausisse dicit ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν, ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς ψάξεις κατὰ τινὰ νόμον εἶχον συληγαμένας. (γ)*

§. VII.

Sed quod de diversa materia valet, in qua scripta veterum exarata fuisse, supra monuimus; idem obtinere de forma eorundem externa, dubio caret. Eam certe variasse admodum, interdum ab ea, quæ nostro ævo invaluit, alienam, modo hodierno usui magis congruam, nunquam vero, quantum ex certis antiquitatis documentis colligere licet, talem fuisse, qualem fingit Simonius, paucis videbimus. Junctis nimirum sibi invicem & compactis lapideis, æneis, plumbeis, ligneis, aut corticeis tabulis lamellisve constitisse libros antiquorum, testantur scriptores fide dignissimi. Quin & ex charta vel membranarum

(α) *Specim. Hist. Arab. p. m. 157. (β) in Lex. Ἑννε κρυβεις (γ) Biblioth. Hist. L. II.*

complicatis junctisque glutine vel filo eosdem fuisse concinnatos, vel annulis tergo aptatis, inserto bacillo circumvolutos. (α) Formam triangularem, ad vocem διλ. Ⓞ, in Dionysium Periegerem memorat Eustathius (β) Eandem ἀξονας & κέρβεις habuisse figuram & interdum quadrangulam, Polemo ad Eratosthenem, nec non Harpocraton auctores adsunt. Pugillares veterum primitus trigonos fuisse, postmodum quadratos, docet Raderus (γ) Corticeos codices, tabellis constantes oblongis, & quadrangulis in Regis Christianissimi Bibliotheca aliisque videre licet. Has omnes, cujuscunque demum materiæ, tabulas vel lamellas, variis modis connecti solitas, uti jam innuimus, fide veterum abunde constat, & ex infra dicendis clarius patebit. Qui vero schedas solutas sparsasve, libris imprimis alicujus momenti, quondam adtribitas affirmet, ex antiquis quemquam vix invenies.

§. VIII.

Sed rotatilium fortasse codicum aliam fuisse rationem, objicient adversæ sententiæ patroni. Horum igitur vera ratio nobis jam erit breviter excutienda. More antiquissimo, libri in membranis, aut chartis plicatilibus scribebantur, quas super cylindrum seu axem ligneum in orbem circumvoluebant, sicut telæ radio textorio circumvolui solent. Hinc *Volu-men* lat. a *voluendo* dictum, unde & *evolvere* libros, eademque ratione græcis ἐπιλεμα ab ἐπλέω, πύλις, πύλι-
B
τιοι

(α) Conf. Montfaucon. in *Paleogr. Gr.* p. 16. (β) *Dio-nyf. Alex.* περιουη. v. 242. (γ) ad *Martial.* L. 14. p. 3.

πῶς a πῆσσω, plico. Huc etiam non male retuleris, quamvis & latius patuisse videatur, Hebræorum מְגִלָּה a גָּלַל volvere, convolvere; æque ac תַּסְבֵּץ a תָּסַךְ expandit, hunc antiquissimum volumina convolvendi & evolvendi ritum respicit. Hanc vero librorum Ebraicorum formam omnium esse antiquissimam, supponit non probat Simonius; nec unquam in tanta reconditorum seculorum caligine, rationibus idoneis, vel saltem indubiis, qua in materia exarata, quaque forma compacta fuerint scripta Mosaica evicerit quisquam. Adfirmant Judæi, majorum traditione nixi, Mosen papyro Ægyptiacæ vel membranæ inscripsisse Pentateuchum. Illius regionis papyro usum, qui puer in Ægypto scribere didicerat, credere par esse, præfracte equidem non negaverim. Largior etiam, inter antiquissima, quæ nobis propiora videntur secula, esse volumen Ægyptiacum, quod cum aliis cimeliis ex oriente impetravit vir magnæ eruditionis & favoris erga eruditos maximi, Nicolaus Peireskius, Senator Aquisextiensis. De hoc namque Gassendus, in ejus vita, testatur hunc in modum: "Inter ceteros (libros) minimum mole, ita pretio maximum habuit quoddam volumen, quod ita dici a voluendo revera potuit, repertum inter capsulam ad mumiæ cujusdam pedes. Id universe conscriptum erat hieroglyphicis litteris, constans ex germana papyro, ac facile sua vetustate superans bis millia annorum. (a) Interim in libris Mosis, nullum vocabulum, quod de rotatili libro commode explicetur, occurrit. Voce

ספר

(A) *Gassend. in vita Peireskii L. 7.*

ⲉⲃ utitur Moses, quam per βιβλίον reddere solent Græci. Nec infrequens apud eundem vocis ⲟⲗⲓ mentio, quæ, vi suæ originis, omnem rem latam, ac planam & micantem &c. notat (α) Huic in Pentateucho ⲡⲓⲫⲓⲁ, sæpius ⲡⲓⲕⲁⲕⲓⲥ a LXX. Senibus substitui observamus. Quemadmodum res duraturas ⲉⲣ ⲉⲣ ⲗⲉⲣⲟⲛ ⲗⲓⲟⲙ ⲉⲓⲥ ⲉⲓⲥ ⲛⲓⲃⲉⲣⲁⲥ ⲕⲁⲓⲣⲱⲛ, ⲕⲉⲗ (ἕως) ⲉⲓⲥ ⲡⲟⲛ ⲁⲓⲱⲛⲁ quondam exarari soliras ⲉⲣ ⲉⲣ ⲗⲉⲣⲟⲛ ⲗⲓⲟⲙ (β) in libro & tabulis, constat, ita & idem tempore Moses obtinuisse, non est quod dubitemus. Hoc certe non obscure videntur innuere verba Jobi Cap. XIX: 24. Quis mihi det, ut exarentur (sermones mei)“ in libro, stilo ferreo & plumbi lamina, vel certe“ sculpantur in filice.“ Nec enim illos moramur, qui litteras plumbo infuso distinctas, potius quam plumbi laminam intelligant, cum hoc recentius esse inventum, non sine ratione suspicari videantur eruditi. Ad hunc etiam modum in tabulis scribendi suo tempore respexit Salomo, Prov. III: 3. Scribe, inquit,“ clementiam ac veritatem in tabulis cordis tui.“ Simile quid indigitatur Jer. XVIII: 1. Propius igitur ad veritatem accedere videtur eorum sententia, qui Pentateuchum primo in tabulis exaratum adfirmant.

§. IX.

Membranas usui scriptorio olim fuisse adhibitas, §. antec. indigitavimus, illis præterea posteriori tempore, circa cylindros convolutis, inscriptos

B 2

fuisse

(α) *conf. Cel. Alb. Schultens. not. ad Harir. p. 71.* (β) *Jes. XXX: 8.*

horum traditiones, veneratione quadam singulari usque ad superstitionem prosequuntur. Hac igitur ratione, aliisque causis ducti, non dubitamus cum viro Cel. Joh. G. Carpzovio affirmare (α) priscorum Judæorum volumina, publicis usibus destinata, ad eum modum circa cylindrum fuisse convoluta, quo hodiernum in Synagoga תורה ספר & תורה ספר conspicitur. Contendunt hi Mosaicam esse traditionem ut ne alia materia, quam nervis, plagulæ confuantur. (β) Si vel unica plagula non sit compacta, quamvis non desideretur, sed in ipso libro asservetur, prælegere tamen ex eo non licet. (γ) Binis cylindris, quos סייח עץ, lignum vitæ, vocant, in duabus suis extremitatibus instruatur Pentateuchi volumen. Priscos etiam solitos fuisse, integros ad minimum libros, in uno volumine conscribere, solida probant argumenta: Salvatori nostro in Synagoga Nazarethana ἐπέδοθῆ βιβλίον ἡσούις τῷ προσφῆτῳ quis vero dixerit, sparsas quasdam schedulas ipsi fuisse traditas? quomodo enim tunc diceretur: καὶ ἀναπύξας τὸ βιβλίον εὐρ: πῦν πέπυ. Luc. IV; 17. & v. 20. καὶ πύξας τὸ βιβλίον ἀπέδωκε τῷ ὑπερέτῃ. Hujus etiam rei manifestum testimonium tradit locus Jer. XXXVII: 23. ubi commemoratur, quomodo Judi, tribus vel quatuor perlectis paginis, scalpello discissum volumen, quod Baruch dictante Jeremia conscripserat, in ignem camini projecit: Sub liquida hac paginarum sive foliorum mentione, si sparsæ quædam schedulæ essent

(α) Crit. Sacra v. 7. Cap. III. (β) Megilla fol: 19. v
 (γ) conf: Cel. And, Georg: Webner in antiq: Ebr: Tom: 1. C: XLV:

sent intelligendæ, quid quæso opus fuit, vel quomodo etiam fieri potuit, ut scalpello discinderentur, quæ antea non cohærebant, adeoque inscilla seorsim cremari potuerant.

§. XI.

Aliis præterea utitur Simonius argumentis, quibus S. Scripturæ ordinem ac certitudinem diljicere conatur; in horum quibusdam refutandis nostra jam vertabitur opera. Priscos Librorum Sacrorum collectores sive oratores, qui, secundum illum, a Prophetis non differunt, parvam vel nullam habuisse ordinis rationem contendit, sed quomodo sese ad captum ac utilitatem populi accommodarent, elaborasse. Hoc quidem dici, nunquam vero demonstrari potest: gratis enim asseritur, סופר scribebam, & נביא prophetam, prorsus ejusdem esse significationis. סופר designat vel virum quemvis litteratum: vel, sensu magis usitato, officium quoddam politicum sive ecclesiasticum, ut סופרים 2. Reg. XII: 10. Jer. XXXVI: 12, 20, 21. aliisque in locis, sunt Cancellarii, Secretarii Regum, Notarii & Præfecti civitatum. Ecclesiastici autem סופרים in N. T. γραμματισ dicti, publici S. Scripturæ interpretes fuere, qui quidem Sacros libros describere, non tamen immutare, nec novum quemdam conficere, in potestate habebant, Sed נביאים, prout Sacræ S. Auctores, viri fuere θεολογικοι, qui, quo ad hunc actum, in id unice ferebantur, quod voluntati Divinæ fuit consentaneum. Frustra etiam provocant adversarii ad incuriam Esdræ, quum ille non propria auctoritate S. Scripturam recognoverit sed u-

na cum reliquis מנשי כנסת הנורוה, viris Synagogæ magnæ, totus in eo fuerit, ut reduci ac restauratæ ecclesiæ Judaicæ exactum ac immaculatum S. Codicem traderet. (a) Nihil etiam, incommodi, quod tamen objicit Simonius, adferre possunt traditiones, & S. Scripturæ neglectus, quum vel eo tempore, quo maxime viguit, in populo Dei idololatria, frequentes Deus ad ipsos miserit prophetas, quibus adeo curæ fuit doctrinæ puritas, ut nulli potuerint irreperere errores; licet populus, traditionum veneno occæcatus, cœlesti veritati nec morem gerere nec fidem habere voluisset. Quid tandem, quod lingua Hebræa, post captivitatem Babylonicam, non fuerit in usu, unde sibi persuasit Simonius, fieri non potuisse, quin errores in describendo S. Codice committerentur, & variæ exorirentur confusiones. (a) Misere sane claudicat hæc istius adsertio, qua plura ex lingvæ Sacræ neglectu elicit, quam unquam probari possunt; quanquam enim non omnes Judæi hujus lingvæ essent periti, istius tamen notitia probe instructi fuerunt Scripturæ interpretes, quibus & solis commissum fuit S. Libros, ad publicum usum destinatos describere, & quolibet Sabbato Sectiones, in Pentateucho מנשי in Prophetis מנשי dictas recitare; Unde Apost. Jac. Act. XV. 21. *Μωσῆς γὰρ ἐν γενεῶν ἀρχαῖσις κατὰ πόλιν τὰς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει; ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενοι*Ⓞ.

(a) Conf. Carpzov. Crit. 3. P. 1. Cap. 17. (β) Cap. XVI. p. m. 92.

§. XII.

§. XII.

SI itaque quibusdam in locis, res aliqua non secundum temporis seriem, sed argumenti affinitatem inveniatur descripta, hujus ratio ex consilio auctoris, non vero ex permissione schedarum, vel quodam alio, quod S. Scriptura subivit, infortunio est petenda. Et quidem sapientiæ ac bonitati Divinæ conveniens fuit, ut singulari modo in perpetuum incorruptus servaretur Sacer codex, sine quo pura persistere nequit ecclesia; voluit itaque & adjuvit Summum Numen, ut, sicuti *οἱ Ἰσραῖτοι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τῆ Θεῆ* Rom. III: 3. ita &, tam in secunda quam adversa fortuna, nobile hocce depositum sollicitè custodirent, quibus & adeo cordi fuit, ut Salvator noster incuriam eorum in conservanda S. Scripturæ puritate nullibi reprehendat, omnibus vero hoc principium viam salutis cognoscendi, tamquam perfectum ac incorruptum proponat. Nostrum igitur erit tantam Sanctissimæ Triados venerari clementiam, quæ in nostra usque tempora, ab omni errore ac confusione cœlestem doctrinam illibatam conservavit.

